

quum: ibid. [g] viperina nocivitas: v. 5. [h] A  
obsurdescencia ad quævis bona monita: v.  
5. 6.

II. Imprecatio: (1) ò Deus adime robur!  
comminuendo dentes leoninos &c. v. 7. [2] diffi-  
pentur instar aquarum diffluentium: v. 8. (3)  
Telorum vis pereat, ibid. [4] Evanescant in-

star limacis: instar abortivi: v. 9. instar spina-  
rum, vel carniarum crudarum: v. 10.

III. Conclusio, sistens bona consequen-  
tia: (1) Justorum gaudium, conspecta insigni  
hac Dei ultione: v. 11. (2) Publicum Præco-  
nium, tum de justitiæ premio, tum de Dei in  
terris justo iudicio: v. 12.

### PSALMUS LVIII.

#### EXPLICATIO VERSUS I.

השמה Vide Psal. LVII, 1.  
מכתם: vide Psal. LVI, 1.

#### EXPLICATIO VERSUS II.

האמת *an revera?*) Adverbium hoc asseve-  
randi אמנם verè, certò, formatum per (א) affor-  
mativum, descendit à אמנם firmus, constans fuit,  
adhibeturque in confirmatione alicujus rei,  
ab omni dubiò liberandæ: ut 2. Reg. XIX, 17. אמנם  
reverà vastarunt reges &c. Job. IX, 2. certè Do-  
mine novi, &c. cum (ה) interrogativò, (cujus  
Katephatach transit in nudum pathach ob se-  
quentem gutturalem, pag. 77.) præter hunc lo-  
cum ter occurrit, Num. XXII, 37. אמנם num verè  
non possum te honore? (ait Balak ad Bileam.)  
1. Reg. VIII, 27. 2. Chron. VI, 18. אמנם num reve-  
ra habitat Deus super terram? ecce cælum &c.  
Atque sic etiam h. l. interrogativè David suos B  
alloquitur adversarios, admirabundus quasi &  
planè hæsitans de intima adeò corruptione,  
quæ linguam instar dæmonii obsidentis occu-  
paverat, atque ad justitiæ exercitium planè ine-  
ptam atq; mutam reddiderat. Interrogatione au-  
tèm hac affirmante subinfert tacitè categoricam  
negantem, q. d. numne caretis lingua? nequaquam,  
num justa sunt, quæ loquimini, quando de reipublicæ  
vel Saulis salute deliberandum vobis? nequa-  
quam? &c. Vel interrogatione hac obtestari ve-  
lut vult adversariorum conscientiam; ut in se-  
metipsos descendant, videntes, an justitiam lo-  
quantur, &c. Ledebur. accent. pag. 278. seq. num re-  
vera silentium justitiæ eloquimini? i. e. num loquimi-  
ni pro innocente, ad silentium compulsò? vide  
ibi plura.

אם *obmutescencia:*) sensus est: num in  
rei veritate, ò filii hominum, obmutescencia (vo-  
bis est, vel obrigit?) num justitiam (ita) loqui-  
mini? num rectè judicatis? Ita David primarios  
aulæ Sauliticæ alloquitur proceres, quos nefandis C  
videbat ab blandiri conatibus regis, quem non so-  
lum ab iniqua Davidis persecutione non avoca-  
bant, muti velut ad contradicendum, sed insu-  
per quoque falsis suis de Davide ejusdemque a-  
ctionibus, JUDICIIS atq; SERMONIBUS arden-  
tius inflammabant, prætendentes, eundem sub-  
dolè coronæ insidiari, hostibus patriæ Philisthæis  
omnia prodere, iisdemque se jungere, Israëlem  
deprædari, &c. De voce אם jam supra dictum  
est Psal. LVI, 1. ubi de obmutescencia columbæ  
agebatur. Plerique interpretum respectu habi-  
tò ad אם ligare manipulos, & אם manipulus,  
fasciculus, reddunt etiam h. l. in vocativo: ò con-  
gregatio! ut Pagninus, Gesnerus, Belge; ò manipule  
justitiæ! ut Coccejus; ò congregatio justitiæ! Mol-  
lerus; ò manipule! ut Rob. Stephanus, Junius, Pisca-

tor: ò concilium, ut Musculus; Vos, quibus pro-  
vincia judicandi rectè mandata est, ita Campen-  
sis. Alii, legentes fortè אם expresserunt Utiq;  
ut LXX. Vulgatus, Hieronymus, Syrus, Arabs, Æthio-  
picus. Verùm cum hicce significatus non qua-  
dret cum loco altero Ps. LVI, 1. acquiescimus  
in mente B. Lutheri: seid ihr denn stumm? (prius:  
wolt ihr denn nicht einmahl reden/ was recht ist?)  
quo cum etiam Felix Pratensis fere consensus: an  
mutam justitiam loquimini: (qui in regimine vide-  
tur accepisse hæc duo substantiva: obmutescen-  
tia justitiæ i. e. justitiam mutam.) Lekach tof: ob-  
fürwat ihr versümmen/ Abner und Amasa? Vare-  
nius. nunquid (tandem) reverà (in rei veritate, sine  
dolo) justitiæ (patronis viduata) obmutescen-  
tia (h. e. justam meam causam tam diu suppressam)  
eloquimini? wolt ihr denn nicht dermahleins die so  
lang verschwiegene Gerechtigkeit (in meiner Sa-  
chen) aussprechen? Idem manebit sensus, si sic  
reddamus: num reverà silentium justitiæ? annon  
loquimini? annon rectè judicabitis? ò filii hominum!  
Adscribo illustrationem R. Salomonis, dictum  
cententis huncce psalmum, quando David ab-  
stulerat lanceam & scyphum Saulis, indeq; Ab-  
nerum alloquebatur: annon respondebis? q. d. an-  
non tuum esset nunc Regem corripere, ipsique remonstrare,  
quod immerito persequatur eum, qui si voluisset, regem  
interimere potuisset, &c. indeque dixit: annon reverà  
אם muta facta est in ore vestro justitia, quam decuisset  
vos eloqui &c.

צדק *justitiæ:*) respectus habetur ad ejusmo-  
di consiliariorum judicia, quæ suum cuique de-  
bebant tribuere, innocuos absolvere ac defen-  
sare, improbos verò refellere & pro ratione delicti  
punire: quam tamen justitiam ipsimet ore suo  
nequaquam promebant, sed premebant. Pot-  
est etiam nomen hoc reddi adverbialiter, q. d.  
כצדק i. e. justè, p. 149. n. 1. Ineptè h. l. Bellarminus  
t. 4. f. 241. colligit, hominem ex viribus naturæ co-  
gnoscere verum morale.

מישרים (an reverà) *rectitudines judicatis:*)  
h. e. an rectè legibusq; conformiter fertis de me  
aliisque innocuos sententiam? nonne meris vel  
mendaciis vel suspitionibus, vel supparasitatio-  
nibus indulgetis? Ellipsis hic est præfixi (ב) in  
rectitudine, i. e. rectè; p. 149. n. 1. Confer Psal. XVII,  
2. oculi tui intuentur מישרים Psal. LXXV, 3. Ego  
מישרים Psal. IX, 9. judicabit populos  
מישרים i. e. rectè. B. Höpfnerus hoc posterius  
מישרים exponit de equitate seu justitiâ ex circum-  
stantiis moderata, prius de justitia absoluta. Vare-  
nius: wolt ihr denn nicht dermahleins aufrichtig und  
redlich richten.

אם ò filii hominum: Titulò hęc Da-  
vid adversarios suos in dignitate constitutos,